

riam, non cum viro concubendo, sed virginem. *Concilium Ephesinum.* (a) (ex gestis Concilii Ephesini cap. 6.) Cavendus autem est hic Nestorii error, qui sic dicit: Cum divina Scriptura dictura est aut natiuitatem Christi, quæ ex Maria virgine est, aut mortem, nusquam videtur ponens, Deus; sed aut Christus, aut Filius, aut Dominus: (1) quoniam hæc tria naturarum significativa diuarum, aliquando quidem huius; aliquando vero illius, aliquando autem & illius, & istius. Accipe autem ad hoc testimonium: *Jacob genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui dicitur Christus.* Deus enim Verbum secunda ex muliere non eguit natiuitate. *Augustinus contra Pelician.* (cap. 12.) Sed non alius Dei, & alius hominis; sed idem Christus Dei & hominis filius fuit: & sicut in uno homine aliud animus, & aliud corpus; sic in mediatore Dei & hominum aliud Dei Filius, aliud hominis Filius fuit: unus tamen ex utroque Christus Dominus fuit. Aliud, inquam, pro discretionem substantiæ, non alius pro unitate personæ. Sed obiicit Hæreticus: Nescio quomodo natum doceatis ex tempore quem cœterum Patri dicitis iam fuisse? Nasci enim est velut quidam motus rei non extantis antequam nascatur, id agens beneficio natiuitatis ut sit. Quo colligitur, eum qui erat, nasci non potuisset; si nasci potuit, non fuisse. Ad quod responderetur ab Augustino (ibidem.) Fingamus, sicut plerique volunt, esse in mundo animam generalem, quæ sic ineffabili motu femina cuncta viuificet ut non sit concreta cum genitis: nempe cum hæc in uterum passibilem materiam ad usus suos formatura peruenit, unam facit secum esse personam ejus rei, quam non eandem constat habere substantiam: & fit, operante anima, & patiente materia, ex duabus substantiis unus homo, cum anima aliud doceatur (2) esse, aliud caro; sicque animam nasci fatemur ex utero, quam (3) ad uterum venientem vitam dicimus conuulisse concepto. Nasci, inquam, ex matre dicitur qui ex hac sibi corpus aptavit, in quo nasci posset: non quia antequam nasceretur, quantum ad se attinet, ipsa penitus non fuisset. Sic ergo, immo multo incomprehensibilis est, atque sublimius, natus est susceptione perfecti hominis de matre Filius Dei, qui per omnipotentiam singularem omnibus genitis est causa nascendi.

(h) *Chrysostronus super Matth.* (hom. 1. in opere imperfecto.) Positis generationibus ab

(1) *Al.* quam. (2) *Al.* deest esse. (3) *Al.* ab utero. (4) *Al.* numeratus. (5) *Al.* non adhue timebant sicut Assyrios, vel Parthos. (6) *Al.* aliud. (7) *Al.* deest, generationis.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Tum parte 1. cap. 9. in epistola Nestorii eo loco relata quo ad ultimam appendicem, *Accipis autem, &c.* tum etiam part. 2. act. 1. ex Lib. Nestorii quaternione 17. quo ad istam.

Abraham usque ad Christum, eas in tres partes diuisit, per generationes quatuordecim: quia ter completis quatuordecim generationibus, (4) mutatus est in Judæis status hominum; ab Abraham enim usque ad David fuerunt sub Judicibus; à David usque ad transmigracionem Babylonis sub Regibus; à transmigracione usque ad Christum sub Pontificibus. Hoc ergo vult demonstrare: sicut semper completis quatuordecim generationibus mutatus est hominum status, sic completis quatuordecim generationibus à transmigracione ad Christum, necesse est à Christo mutari similiter hominum statum; quod & factum est: post Christum enim omnes gentes sub uno Christo Judice, Rege, & Pontifice factæ sunt: unde quando Judices, Reges, & Pontifices Christi dignitatem præfigurabant, semper principia eorum in figura fuerunt Christi: primus Judicum Iesus naves; primus Regum David; primus Pontificum Iesus filius Iosedech. Hoc in figura Christi fuisse, dubitat nemo. *Chrysostronus* in hom. (4. in princ.) Vel ideo in tres partes diuisit omnes generationes, demonstrans quod neque regimine transmutati facti sunt meliores; sed sub Judicibus, Regibus, Pontificibus, & Sacerdotibus in eisdem permanerunt malis: propter quod & captiuitatem Babylonis commemorat, manifestans quod neque ex hoc sunt correcti. Descensus autem in Ægyptum non meminit, quia Ægyptios (5) non timebant, sicut Babylonios, vel Assyrios: & quia (6) illud erat antiquum, hoc autem recens; & quia illuc non propter peccata deducti fuerant, sicut in Babylonem. *Ambrosius* super Lucam (cap. 3. non parum ante finem.) Illud autem non præmittendum putamus quod à David temporibus usque ad Jechoniam, cum septemdecim fuerint Reges Judææ, quatuordecim generationes *Matthæus* posuit. Oportet autem cognoscere, posse plures esse successiones, pauciores generationes: possunt enim diutius vivere aliqui, & ferius generare; aut certe penitus exortes (7) generationis existere: itaque nõh quæ Regum, eadem generationum tempora. *Glossa.* Vel potest dici, tres Reges esse prætermisissos, ut superius dictum est. *Ambrosius* super Lucam (cap. 3. non parum ante finem.) Rursus ergo cum à Jechonia usque ad Ioseph generationes duodecim computentur; postea quatuordecim generationes descriptas esse commemorauit. Sed si diligenter aduertas, hic quo-

que quatuordecim generationum poteris inuenire rationem. Duodecim enim à Ioseph numerantur, terdecima est Christus: duos autem Joakim, idest duos Jechonias fuisse historia indicat, patrem, & filium. Non igitur suppressit alterum Evangelista, sed utrumque significat. Ita, addito minori Jechonia, generationes quatuordecim computantur. *Chrysostronus* super *Matth.* (hom. 1. in opere imperfecto.) Vel unus Jechonias bis numeratur in Evangelio, semel ante transmigracionem, iterum autem post transmigracionem. Hic enim Jechonias, cum esset unus, duas habuit conditiones: fuit enim & Rex ante transmigracionem, quasi Rex factus à populo Dei; factus est & privatus post transmigracionem; ideo autem transmigracionem numeratur inter Reges, quasi Rex; post transmigracionem autem inter privatos. *Augustinus* in Lib. de Conf. Evang. (Lib. 2. cap. 4.) Vel ideo unus in illis progenitoribus bis numeratur, idest Jechonias, à quo facta est quædam in extraneas gentes deflexio, quoniam in Babyloniam transmigratus est. Ubi autem ordo à rectitudine sceditur ut eat in diuersum, tamquam angulum facit; illud autem quod in angulo est, bis numeratur: & hic jam Christum præfiguratur à circumfisione ad præputium migratum, & lapidem angularem futurum. *Remigius.* Ideo autem quatuordecim posuit generationes, quia denarius significat decalogum, quaternarius vero quatuor libros Evangelii: unde in hoc ostendit concordiam legis & Evangelii. Ideo etiam quaterdenarius numerum triplicavit, ut ostenderet quia perfectio legis, prophetiæ, & gratiæ, in fide sanctæ Trinitatis consistit. *Glossa.* (a) Vel in hoc numero septiformis gratia Spiritus Sancti significatur: hic enim numerus ex septem conficitur: quod autem geminatur, significat, gratiam Spiritus Sancti, corpori, & animæ esse necessariam ad salutem. Sic ergo hæc generatio dividitur in tres thesserades. Prima est ab Abraham usque ad David, ita quod David ibi includitur; sed secunda à David usque ad transmigracionem, ita quod David ibi non includitur, sed transmigratio sub eo continetur; tertia est à transmigracione usque ad Christum, in qua si dicamus Jechoniam bis numeratum, transmigratio inclusa est. In prima significantur homines ante legem, in qua quosdam homines naturalis legis inuenies, scilicet Abraham, Isaac, & Jacob; omnes usque ad Salomonem. In secunda significantur homines sub lege: omnes enim qui in ea inueniuntur

tur, sub lege fuerunt. In tertia homines gratiæ, quia terminatur ad Christum, qui gratiæ dator fuit, in qua etiam liberatio à captiuitate Babylonis facta est, significans liberationem à captiuitate per Christum factam. *Augustinus de Cor. Evang.* (Lib. 2. cap. 4.) Cum autem quaterdenas generationes tribus distinxisset articulis, non tamen eas dixit in summa, ut diceret: *Fiunt omnes quadraginta & duæ: unus enim in illis progenitoribus bis numeratur, scilicet Jechonias: sic ergo non quadraginta & duæ, quod faciunt ter quatuordecim, sed propter unum bis numeratum quadraginta & una generationes sunt.* *Matthæus* igitur, qui regiam in Christo constituerat insinuare personam, excepto Christo, quadraginta homines in generationum serie numeravit. Numerus enim iste, iudicium tempus significat quod in hoc seculo regi nos oportet à Christo, secundum disciplinam laboriosam, quam significat illa virga ferrea, (1) de qua in Psalmis legitur (Psal. 2.) „Reges eos“, in virga ferrea. “Quod autem numerus iste hanc temporalem vitam æternamque significet, illa interim causa de proximo occurrit, quod & tempora annorum quadripartitis vicibus currunt, & mundus ipse quatuor partibus terminatur, ab oriente & occidente, aquilone, & meridie. Quadraginta autem quater habent decem. Porro ipsa decem ab uno usque ad quatuor progrediente numero consummantur. *Glossa.* (b) Vel denarius ad decalogum refertur, quaternarius ad præsentem vitam, quæ per quatuor tempora transit: vel per decem vetus testamentum, per quatuor nouum. *Remigius.* Si quis autem voluerit dicere quod sunt quadraginta & duæ generationes, quia non est unus Jechonias, sed duo; dicendum est, quod & iste numerus congruit sanctæ Ecclesiæ: nascitur enim à septenario & senario: nam sexies septem quadraginta & duo faciunt. Senarius refertur ad laborem, septenarius vero ad requiem.

(i) *Chrysostronus* super *Matth.* (hom. 1. in opere imperfecto.) Quoniam superius dixerat, *Jacob autem genuit Ioseph*, cui desponsata Maria genuit Iesum: ne aliquis audientium sic æstimaret esse natiuitatem quomodo præcedentium patrum, ipse ordinem narrationis suæ præcedens dicit: *Christi autem generatio sic erat; ac si dicat: Generatio quidem eorum quos exposuimus patrum sic fuit quemadmodum reulit; Christi autem generatio non sic, sed ita erat: Cum esset desponsata mater.* *Chrysostronus* in hom. (4. aliquantulum à princ.) Quasi enim ali-

(1) *Al.* deest sequens *Psal.* sententia.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Non est in *Glossa* quæ nunc extat, sed in Anselmo; etsi non eodem tenore quo hic, nec eodem ordine. (b) Sive Anselmus.

aliquid novum dicturus præmittit modum generationis dicere: ne audiens virum Mariæ, æstimet natum esse lege nature. *Remigius*: Potest autem ad superiora referri hoc modo: Sic erat Christi generatio sicut dixi; id est, *Abraham genuit Isaac*. *Hieronymus*. Sed quare non de simplici virgine, sed de desponsata concipitur? Primum ut per generationem Joseph origo Mariæ monstraretur; secundo ne lapidaretur à Judæis ut adultera; tertio ut in Ægyptum fugiens, haberet solatium mariti. Martyr etiam Ignatius quartam addidit causam, Ut partus, inquit, ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 1. in opere imperfecto.) Ideo autem & desponsata, & domi habita: nam quemadmodum in ea quæ in domo viri concipitur, intelligitur conceptio naturalis; ita in ea quæ extra domum concepit, est suspecta conjunctio. *Hieronymus* contra Helvidium (in principio Libri.) Sciendum autem, quod Helvidius, quidam homo turbulentus, accepta materia disputandi, blasphemare contra Dei matrem incipit: cuius prima propositio fuit: *Matthæus loquitur sic: Cum esset desponsata*. Ecce, inquit, habes desponsatam, non commendatam, ut dicitur: & utique non ob aliud desponsatam, nisi quoniam nupturam. *Origenes* (hom. 1. inter eas quæ ex variis locis sunt collectæ, in princ.) Desponsata fuit quidem Joseph, non tamen in concupiscentia juncta. Mater ejus, inquit, mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta. Mater ejus: cuius (1) ejus? Mater est Dei, Unigeniti, Domini, Regis, omnium plasmatoris, & redemptoris cunctorum. *Cyillus* (ad Joannem Antioche.) Quid enim videbit aliquis in sancta Virgine præter alias? Si Dei mater non sit, sed Christi, vel Domini, ut Nestorius dicit: nihil enim absurdum est etiam si voluerit quis matrem uniuscujusque unctorum Christi nominare genitricem. Sola vero præter illas sancta Virgo, & Christi genitrix intelligitur, ac dicitur. Genuit enim non purum hominem, secundum vos, sed incarnatum potius, & hominem factum ex Deo Patre Verbum. Sed forsitan illud ais: Dic mihi, putasne divinitatis mater facta est Virgo? Et ad hoc quoque dicimus, quia natum est ex ipsa Dei substantia ejus Verbum, & sine principio temporis semper (2) coexistens Genitori: in novissimis autem temporibus, quoniam caro factum est, hoc est unitum carni anime-

(1) *Al. desit* ejus. (2) *Al. existens*. (3) *Al. desit* Dei. (4) *Al. omittitur*. Maria.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Ad monachos Ægypti: non sicut prius, ad Joannem Antiochenum. (b) Immo potius Chryzologus post opera Leonis Papæ serm. 148. (c) Epist. 28. quæ incipit, *Latentur cali*. (d) Tum in Comment. tum etiam in homiliis hiemalibus feria 4. quatuor temporum.

ceretur, qui (1) ideo natus est ut carnis & sanguinis solveret passionem. *Augustinus* de Nup. & conc. (Lib. 1. cap. 12.) Nuptialis etiam concubitus ibi non fuit: quia in carne peccati fieri non poterat sine ulla carnis concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine qua concipi voluit qui futurus erat sine peccato: ut hinc etiam doceret, omnem quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati, quandoquidem sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati. *Augustinus* in serm. de Nativ. (a) (serm. 6.) Nascitur etiam ab intacta femina Christus: quia fas non erat ut virtus per voluptatem, castitas per luxuriam, per corruptionem incorruptio nasceretur. Nec poterat nisi novo ordine adventare de celo qui vetustum mortis destruere veniebat imperium. Regnum igitur tenuit virginitatis quæ Regem genuit castitatis. Ideo etiam Dominus noster virginem sibi requisivit hospitium habitandi, ut nobis ostenderet Deum in casto corpore portari debere. Ergo qui scripsit lapideas tabulas sine fillo ferreo, ipse gravidavit Mariam Spiritu Sancto; unde dicitur: *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*. *Hieronymus*. Non ab alio inventa est nisi à Joseph, qui pene licentia maritali omnia noverat. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 1. in op. imperf.) Nam sicut historia non incredibilis docet, quando gesta sunt quæ refert Lucas, Joseph absens erit: nec enim conveniens est putare præsentem Joseph introisse Angelum ad Mariam, & dixisse quæ dixit, & Mariam respondisse quæcumque respondit. Et si credamus Angelum potuisse intrare ad eam, & loqui; plane tamen Mariam abuisse in montana, & mansisse cum Elisabeth mensibus tribus possibile non fuit præsentem Joseph: quia necesse erat ut absentationis ejus, & mansionis diutinæ requireret causas. Postquam autem rediit peregre post tot menses, invenit eam gravidam manifeste. *Chrysostomus* in hom. (4. super Matth.) Proprie autem dicit, *Inventa est*; quod de non excogitatis dici consuevit est. Ne autem mollesse Evangelistam interrogando qualiter sit natus ex virgine, breviter expedit se dicens, *De Spiritu Sancto*; quasi dicat: Spiritus Sanctus est qui est hoc miraculum operatus. Neque enim Gabriel, neque Matthæus (2) amplius dicere poterunt. *Glossa*. (b) (ordinaria.) Hoc ergo quod dicitur, *Est ex Spiritu Sancto*, Evangelista ex parte sua adduxit, ut cum diceretur habere in utero, omnis mala removeretur suspicio à mentibus

S. Thom. Op. Tom. VIII.

(1) *Al. ex Deo*. (2) *Al. Apostolus*. (3) *Al. ex ordine*. (4) *Al. consequentiam*.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Partim sermone 4. partim 13. partim 14. five in appendice de diversis; tum serm. 22. 23. 24. 25. Sed non iisdem verbis quoad omnia, nec eodem contextu. (b) Sive Anselmus. (c) *Hieronymus* in explanatione cath. fidei, falso ei adscripta. (d) Habet eadem & Rabbanus, quin & Anselmus partim, quo ad ultimam appendicem.

audientium. (c) *Augustinus* serm. 3. de Trinitate contra Arianos (serm. 191. de tempore.) Non autem sicut quidam sceleratissime opinantur Spiritum Sanctum dicimus fuisse pro semine; sed potentia ac virtute creatoris dicimus operatum. *Ambrosius* in Lib. de Spiritu Sancto (Lib. 2. cap. 5.) Quod enim ex aliquo est, aut ex substantia sicut filius, qui à patre; ex potestate sicut ex Deo omnia, quomodo & in utero habuit Maria ex Spiritu Sancto. *Augustinus* (in Ench. ad Laurentium cap. 40. in princ.) Perfecto autem iste modus, quo natus est Christus de Spiritu Sancto, infinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis, in ipso (3) exordio nature suæ quo esse cepit, Verbo Dei copularetur in tantam persone unitatem ut idem ipse esset Filius Dei. Sed cum illam creaturam quam Virgo concepit, & peperit, quamvis ad solam personam Filii pertinentem tota Trinitas fecerit (neque enim separabilia sunt opera Trinitatis) cur in ea faciendæ solus Spiritus Sanctus nominatus est? An & quando unum trinum in aliquo opere nominatur, universa operari Trinitas intelligitur? *Hieronymus* (contra Helvidium non longe ab exordio.) Sed inquit Helvidius: Neque de non conventus Evangelista dixisset, *Priusquam convenirent*: quia nemo de non præfatus dicit, Antequam præderet: quasi si quis diceret, Antequam in portu præderem, ad Africam navigavi, non posset stare sententia, nisi ei in portu prædendum sit quandoque: aut non potius sit intelligendum sic, quod ante, licet sæpe & (4) sequentia indicet, tamen nonnumquam ea tantum quæ prius cogitabantur ostendit; nec necesse sit ut cogitata fiant; cum ideo aliud intervenerit, ne ea quæ cogitata sunt fierent. *Hieronymus*. Non ergo sequitur ut postea convenirent; sed Scriptura quod factum non sit ostendit. *Remigius*. (d) Vel hoc verbum conveniendi, non ipsum concubitus, sed tempus significat nuptiarum, id est antequam rite solemniter nuptiarum celebrarent. *Augustinus* de Conf. Evang. (Lib. 2. cap. 5. in princ.) Hoc quemadmodum factum sit, quod hic prætermissit Lucas, exponit post commemoratum conceptum Joannis, ita enarrans (cap. 1.) „ In mense autem „ sexto missus est Angelus: „ & infra: „ Spiritus Sanctus superveniet in te. „ Hoc ergo est quod

quod Matthæus commemoravit dicens: *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* Nec contrarium est, quia Lucas exposuit quod Matthæus prætermisit; sicut non est contrarium, quia Matthæus deinceps continet quod Lucas prætermisit: sequitur enim: *Joseph autem vir eius cum esset iustus*, usque ad eum locum ubi scriptum est de Magis, quod *per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Si quis autem velit unam narrationem ex omnibus quæ de Christi natiuitate dicuntur ab alterutro, si hæc prætermittantur, ordinare sic potest: *Christi generatio sic erat.* Fuit in diebus Herodis, usque ibi, *Manit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reversa est in domum suam:* Luc. 1. Et tunc addendum est quod hic dicitur: *Et inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* *Chrysostr. in hom. (4. inter princ. & medium.)* Cum dixisset Evangelista, quod ex Spiritu Sancto, & sine concubitu inventa est in utero habens, ne suspectum habens Christi discipulum quasi grandia de suo magistro fingentem, introducit Joseph per ea quæ passus est, ad fidem eorum quæ dicta sunt conferentem unde dicit: *Joseph autem vir eius cum esset iustus.* *Augustinus in serm. de Nativ. (a)* (serm. de temp. 10. & de Nativ. 14.) Intelligens enim Joseph Mariæ uterum gravidari, turbatur quod Mariam quam de templo Domini acceperat, & nondum cognoverat, gravidam sentiebat, secumque æstabat disputans, & dicens: Quid faciam? Prodo, aut taceo? Si prodero, adulterio non consentio, sed vitium crudelitatis incurro: quia secundum Moysi sententiam, lapidandam eam esse cognosco. Si taceo, malo consentio, & cum adulteris portionem meam pono. Quoniam ergo tacere malum est, adulterium prodero peius est, dimittam eam à conjugio. *Ambrosius super Lucam (Lib. 2. cap. 1. paulo ante finem.)* Pulchre autem docuit sanctus Matthæus quid facere debeat iustus, qui opprobrium conjugis deprehenderit, ut incruentum ab homicidio, castum ab adulterio præstare se debeat: & ideo dicit: *Cum esset iustus.* Ubique ergo in Joseph iusti gratia, & persona servatur, ut testis ornatur: lingua enim iusti loquitur iudicium veritatis. *Hieronymus.* Sed quomodo Joseph, cum crimen celet uxoris, iustus describitur? In lege enim præceptum est, non solum reos, sed conscios criminis obnoxios esse peccato. *Chrysostr. in hom. (4. inter*

(1) Al. Est enim iustitia & avaritiam non habere, & universalis virtus. *(2) Al.* traditioni.

Ex edit. P. Nicol. (a) Nempe in serm. 14. qui est in appendice de diversis 25. nec tamen est Augustini. *(b)* Vel etiam Rabbanus, ut jam supra. *(c)* Minus expresse quam Anselmus his verbis.

princ. & medium.) Sed sciendum quod iustum hic virtuosum in omnibus dicit. (1) Est enim iustitia specialis quædam, ut avaritiam non habere; & altera universalis virtus, & sic nomine iustitiæ maxime utitur Scriptura. Iustus igitur existens, idest benignus, & mitis, voluit occulte dimittere eam, quod non solum (2) traductioni, sed etiam penæ secundum legem obnoxia videbatur. Sed Joseph utrumque remisit, quisi supra legem vivens. Sicut enim sol antequam radios monstrat, mundum clarificat, sic & Christus antequam nasceretur, multa signa perfectæ virtutis apparere fecit. *Augustinus de Ver. Domini (serm. 16. à medio.)* Vel aliter. Si solus nostri, quia aliquis peccaverit in te, & cum via coram hominibus arguere; non est corrector, sed proditor. Unde vir iustus Joseph tanto flagitio quod de uxore fuerat suspicatus magna benignitate pepercit. Æstiuabat utique certa adulterii suspicio; & tamen quia ipse solus sciebat, noluit eam divulgare, sed occulte dimittere, volens prodesse peccanti, non punire peccantem. *Hieronymus.* Vel hoc testimonium Mariæ est, quod Joseph sciens illius castitatem, & admirans quod evenerat, celat silentio, cuius mysterium sciebat. *Remigius. (b)* Videbat enim gravidam quam noverat castam, & quia legerat (Esaï. 11.) „Egredietur virga de radice „ Jesse:“ unde novit Mariam duxisse originem: & legerat etiam (Esaï. 7.) „Ecce virgo concipiet;“ non diffidebat hanc prophetiam in ea esse implendam. *Origenes (hom. 1. ex variis locis ante medium.)* Sed si suspicionem in ea non habebat, quomodo iustus erat ut immaculatam dimitteret? Ideo ergo dimittere volebat, quoniam magnum sacramentum in ea esse cognoscebat, cui approximare se indignum æstimabat. *Glossa. (c)* Vel cum vellet eam dimittere, iustus erat; cum occulte, prius notatur, eam ab infamia defendens: & hoc est, *Cum esset iustus, voluit dimittere eam;* cum nollet eam traducere in publicum, idest diffamare, voluit hoc facere occulte. *Ambrosius super Lucam (Lib. 2. cap. 1. paulo ante finem.)* Nemo autem quam non accipit, dimittit; & ideo quam volebat dimittere, fatebatur acceptam. *Glossa.* Vel cum nollet eam traducere in domum suam ad cohabitationem assiduam, voluit occulte dimittere eam, idest tempus nuptiarum mutare: vera enim virtus est cum nec pietas sine iustitia, nec sine pietate servatur iustitia; quæ separata ab invicem dilabuntur. Vel iustus erat per fidem, quia crede-

bat

bat Christum de virgine nasciturum: unde voluit se humiliare ante tantam gratiam. *(1) Remigius.* Quia, sicut dictum est, cogitabat Joseph occulte Mariam dimittere; hoc autem si fecisset, perpauci essent qui non magis suspicarentur eam esse meretricem quam virginem: idcirco repente consilium Joseph divino mutatum est consilio: unde dicitur, *Hoc autem eo cogitante.* *Glossa. (a)* In quo notatur animus sapientis, qui nihil tenere vult incipere. *Chrysostr. in hom. (4. paulo ante medium.)* Notatur etiam mansuetudo Joseph, quia nulli enarravit suam suspicionem, neque ei quæ suspecta erat; sed in se cogitabat. *Augustinus in serm. de Nativ. (serm. de temp. 18. de Nativ. 14.)* Sed Joseph ista cogitante, non timeat Maria David filia: quoniam sicut David veniam contulit sermo propheticus, sic Mariam liberat Angelus Salvatoris. Ecce enim iterum Virginis ille paranympus Gabriel advenit: unde sequitur: *Ecce Angelus Domini apparuit Joseph.* *Glossa. (b)* Hoc igitur verbo apparuit significatur potestas apparentis, qui quando vult, & quomodo, exhibet se videndum. *Rabbanus.* Quomodo autem Angelus Joseph apparuit demonstratur cum dicitur, *In somnis;* idest, quomodo Jacob scilicet vidit per imaginationem quamdam oculis cordis offensam. *Chrysostr. in hom. (4. parum ante med.)* Ideo autem non apparuit manifeste Joseph, sicut pastoribus, quia valde fidelis erat; pastores autem indigebant quasi rudes. Virgo autem indiguit, quasi primo de maximis instruenda. Similiter etiam Zacharias indiguit ante conceptionem prolis mirabili visione. *Glossa. (c)* Apparens Angelus nomen exprimit, genus commemorat, & timorem excludit, dicens: *Joseph fili David.* Joseph: eum ex nomine quasi notum, & familiarem sibi ostendit. *Chrysostr. super Math. (hom. 1. in op. imperf.)* Filium David eum nominans, voluit eum adducere in memoriam promissionis Dei ad David, ut de semine eius Christus nasceretur. *Chrysostr. in hom. (4. parum ante med.)* Dicens autem, *Noli timere,* monstrat eum jam timere ne offenderet Deum, quasi adulteram habens; alias neque cogitasset eam expellere. *Severianus. (d)* Sponsus etiam ne timeat admonetur, quia pius animus, dum compatitur, plus pavescit; ac si dicat; Hic non est mortis causa, sed vita quæ quæ vitam paratur, non meretur occidi.

(1) Al. intus retinere. *(2) Al.* improbabile.

Ex edit. P. Nicol. (a) Sive Anselmus; sic enim tantum Glossa: *Hic docentur diu deliberandum esse in incertis, ne peccetur temeritate levitatis.* *(b)* Neque id habet Glossa quæ nunc extat, sed colligitur ex Ambrosio super illud simile Luc. 1. *Apparuit Angelus etc.* *(c)* Interlinealis æquivalenter, non expresse his verbis: quorum aliqua ex Anselmo etiam desumpta sunt. *(d)* Immo potius Chrysostr. serm. 145. qui de generatione Christi inscribitur.

Chrysostr. super Math. (hom. 1. in op. imperf.) Dicens etiam, *Ne timeas,* cognitorum se cordis ejus ostendere voluit, ut per hoc futurorum bonorum, quæ de Christo erat diciturus, faceret fidem. *Ambrosius super Lucam (Lib. 1. cap. 1. paulo ante finem.)* Non autem te moveat, quod eam conjugem vocat; non enim virginitatis ereptio, sed conjugii testificatio, nuptiarum celebratio declaratur. *Hieronymus contra Helvidium (non longe à principio Libri qui incipit „Nuper rogatus.“)* Non tamen est putandum, quod ex eo quod uxor est appellata, sponsa esse desierit, cum hanc esse consuetudinem Scripturæ noverimus quod sponso viros, & sponas appellet uxores, sicut Deuteronomii (cap. 22.) testimonio approbatur. „Si quis (inquit) invenerit virginem desponsatam, cum ea, moriatur: quia humiliavit uxorem proximi sui.“ *Chrysostr. in hom. (4. parum ante med.)* Dicit autem, *Noli timere accipere,* idest (1) domi retinere: jam enim mente dimissa erat. *Rabbanus.* Vel noli timere accipere eam, nuptiali conventu, & assidua cohabitatione. *Chrysostr. super Math. (hom. 1. in op. imperf.)* Propter tres autem causas apparuit Angelus Joseph, hoc dicens ei. Primo ne iustus homo, ignorans faceret rem injustam ex proposito iusto. Deinde propter honorem ipsius matris: nam si dimissa fuisset, apud infideles turpi suspitione carere non poterat. Tertio ut intelligens Joseph sanctam conceptionem, diligentem se custodiret ab illa quam prius. Ideo tamen non ante conceptionem Virginis venit ad Joseph, ut nec cogitare hæc quæ cogitavit, ne pateretur quæ passus est Zacharias, culpam infidelitatis incurrens de conceptione conjugis jam longævæ: incredibilior enim erat res virginem posse concipere quam anum. *Chrysostr. in hom. (4. paulo ante medium.)* Vel ideo turbato jam Joseph Angelus venit, ut appareret Joseph sapientia, & ut hoc ipsum fieret ei eorum quæ dicebantur demonstratio. Dum enim audit ab Angelo quæ intra se cogitaverat, indubitabile signum erat quod à Deo mitteretur, cuius solius est scire cordis secreta. Sermo etiam Evangelistæ insuspiciabilis sit, demonstrans Joseph passum quod (2) probabile est virum pati. Virgo etiam omnem malam suspicionem effugit, ex hoc quod vir qui zelotypiam passus est, eam susce-

pit, & post conceptionem servavit. Ideo autem Virgo Joseph hæc quæ Angelus nuntiavit, non dixit, quia non estimabat sibi credi à sponso, & maxime jam in suspitionem adducto. Virgini autem ante conceptionem annuntiat Angelus, ne si post conceptionem deferret, in angustia esset. Oportebat autem extra turbationem esse illam matrem quæ omnino conditorem recepit. Non solum autem Angelus ab iniqua commixione Virginem excusat, sed & supra naturam concepisse demonstrat, non solum timorem auferens, sed & lætitiā addens: unde subdit: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Glossa (ordinaria) (a) Aliud est nasci in ea, & aliud ab ea: nasci ab ea, est prodire in lucem; nasci in ea est idem quod concipi. Vel secundum præsentiam Angeli quam habet ex Deo, cui futurum quasi præteritum est, natum dicitur. *Augustinus*, de Quæst. novi & vet. testamenti (quæst. 52.) Sed si de Spiritu Sancto natus est Christus, cur dictum est (Prov. 7.) „ Sapientia ædificavit sibi domum? “ (1) Domus ista gemina ratione debet intelligi. Primum enim domus Christi Ecclesia est, quam ædificavit sibi sanguine suo: deinde potest & corpus ejus dici domus ejus, sicut dicitur templum ejus. Factum autem Spiritus Sancti, factum Filii Dei est, propter naturam, & voluntatis unitatem: sive enim Pater faciat, sive Filius, sive Spiritus Sanctus; Trinitas est quæ operatur; & quicquid tres fecerint, Dei unius est. *Augustinus* in Ench. (ad Laurentium cap. 38. in princ.) Numquid tamen ideo dicitur sumus patrem hominis Christi esse Spiritum Sanctum, ut Deus Pater Verbum genuerit, Spiritus Sanctus hominem? Quod ita absurdum est, ut nullæ fideles aures id valeant sustinere. Quomodo ergo dicimus Christum natum de Spiritu Sancto, si non eum genuit Spiritus Sanctus? An quia fecit eum? In quantum enim homo est, factus est, sicut Apostolus dicit (ad Rom. 1.) „ Factus est, ut ex femine David, secundum carnem. “ Neque enim quia mundum istum fecit Deus, dici eum fas est Dei filium, aut natum ex Deo; sed factum, vel creatum, vel conditum. Hic autem, cum consistatur eum natum de Spiritu Sancto, & Maria Virgine, quomodo non sit filius Spiritus Sancti, & sit Filius Mariæ Virginis? (In Ench. cap. 38. in calce, & princ. 39.) Non ergo concedendum est, quicquid de aliqua re nascitur, continuo ejusdem rei filium nun-

(1) *Al.* Quomodo. (2) *Al.* nomen *Jesum*. (3) *Al.* Ad talia enim credenda facilius accedere consuevimus.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Quoad priorem partem ex Anselmo desumpta, sed non quoad posteriorem. (b) Ex parte tamen, & obiter; sed plenius Anselmus, ut jam supra; ubi & habet officio pro auxilio.

cupandum: ut enim omittam aliter, de homine nasci filium, aliter capillum, pediculum, & lubricum, quorum nihil est filius; certe homines qui nascuntur ex aqua, & Spiritu, non aquæ filios recte eos dixerit quisquam; sed Dei Patris, & matris Ecclesiæ. Sic ergo de Spiritu Sancto natus est, & Filius Dei Patris est, non Spiritus Sancti.

(m) *Chrysostomus* in hom. (4. circa med.) Quia hoc quod Angelus ad Joseph dixerat, supra humanam cogitationem, & legem naturæ erat, non solum ex præteritum revelatione confirmat quæ dixerat, sed etiam ex futuris, dicens, *Pariet autem filium.* Glossa (ordinaria) (b) Ut enim non videretur Joseph amplius conjugio non esse necessarius; cum conceptio esset facta sine ejus auxilio, ostendit quod quamvis non sit necessarius conceptui, tamen utilis est procuratori: quia ipsa pariet filium; & tunc matri, & filio erit necessarius: matri ut ab infamia defendat; filio ut eum nutriat, & circumcidat: quæ circumcisio notatur ubi dicit: *Et vocabis nomen ejus Jesum*: in circumcisione enim solet dari nomen. *Chrysostomus* super Math. (hom. 1. in op. imperi.) Non autem dixit, Pariet tibi Filium, sicut ad Zachariam. (Luc. 1.) „ Ecce Elisabeth uxor tua pariet tibi filium: “ quia mulier quæ ex viro concipit, marito suo filium parit, quia magis ex illo est quam de ipsa; hæc autem quæ non de viro conceperat, non viro filium peperit, sed sibi tantummodo. *Chrysostomus* in hom. (4. circa medium.) Vel indeterminate hoc posuit, ut ostendat quod eum peperit orbis terrarum universo. *Rabbanus*. Dicit autem, *Vocabis (2) nomen*, & non impones, quia ab æterno impostum est. *Chrysostomus* in hom. (4. ibid.) Hinc autem ostendit admirabilem esse partum, quia Deus est, qui nomen desuper per Angelum mittit; nec nomen quodecumque, sed quod est infinitorum bonorum thesaurus. Ideoque interpretatur illud Angelus, bonam substituens spem, & ex hoc ad credendum quod dicebatur inducit. (3) Facilius namque sollicitamur ad prospera, & promptius fidem accomodamus secundis. *Hieronymus* (super illud, *Vocabis nomen ejus Jesum*.) Jesus enim Hebræo nomine significat dicens: *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* *Remigius*. Ostendit enim eundem totius mundi salvatorem, & nostræ salutis auctorem. Salvat quidem non incre-

credulos, sed populum suum; hoc est, in se credentes salvat, non tam à visibilibus (1) hostibus quam potius invisibilibus; hoc est, à peccatis salvat, non armis pugnando, sed peccata relaxando. *Severinus*. (a) Veniant, & audiant qui requirunt, Quis est quem Maria genuit? *Ipse enim salvum faciet populum suum*, non alterius salvum faciet populum. Unde? *A peccatis eorum*. Esse Deum qui peccata donat si Christianis non credis, crede infidelibus, vel Judæis dicentibus (Luc. 5.) „ Nemo potest peccata dimittere nisi solus Deus. “

(n) *Remigius*. Mos fuit Evangelistæ, ea quæ dicit, de veteri testamento confirmare, propter Judæos qui in Christum crediderant, ut agnoscerent ea esse completa in gratia Evangelii quæ prædicta fuerant in veteri testamento; & subdit; *Hoc autem totum factum est.* Quærendum autem est in hoc loco quare dixerit, hoc totum factum esse, cum superius solum conceptionem narraverit. Sed sciendum, quod hoc ideo dicit, ut demonstraret quod ante in præsentia Dei factum fuit: quæ fieret apud homines. Sive quia præteritum rerum erat narrator, totum factum esse dicit: quia quando hoc scripsit, jam totum factum erat. *Rabbanus*. (b) Vel hoc totum factum esse dicit, quod virgo desponsaretur, quod casta servaretur, quod gravis inveniretur, quod per Angelum revelaretur: ut adimpleretur quod dictum est. Non enim hoc impleteretur, quod virgo conciperet, & pareret, nisi desponsata esset, ne lapidaretur; & nisi ab Angelo secretum detegeretur, & ita eam Joseph acciperet, (2) ne dimissa per infamiam efflueret, & lapidatione periret. Si ergo ante partum periret, cassaretur propheta quæ ait (Esaï. 7.) „ Pariet filium. “ *Glossa* (ord. super illud, *Ut adimpleretur*.) Vel potest dici, quod ut non ponitur casualiter: non enim ideo impletum est, quia implendum erat: ponitur autem consecutive, sicut & in Genesi (49) „ Suspendit alterum in patibulo, ut conjectoris veritas probaretur: “ quia uno suspensio, conjectoris veritas est probata: sic & in hoc loco intelligendum est, quod hoc factum quod prædictum est, prophetia impleta est. *Chrysostomus* in hom. (5. non procul multà à princ.) Vel aliter. Quia vidit Angelus abyssum divinæ misericordiæ, naturæ leges for-

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) *Al.* deest hostibus. (2) *Al.* omittitur ne. (3) *Al.* ducitur.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Immo potius Chrysostomus in ferm. 145. qui de generatione Christi inscribitur, circa medium. (b) Vel potius Anselmus, ut jam supra: nam Rabbanus hæc tantum paulo aliter quam Anselmus: *Quid totum? Quod Angelus ad Virginem missus est, quod ipsa Virgo suo propinquo desponsata est, quod casta servata est, quod Angelus Joseph per somnium visus est, quod Mariam accipere iussus est, & pueri nomen vocare Jesum; & ad quid illud? Ut virgo totius mundi pareret salutem, & virgo intacta in perpetuum perseveraret.* Nec sequentia modo in Glossa extant, sed ex Hugone colliguntur.

lutas, & Deum qui erat omnibus superior, ad hominem, qui erat omnibus inferior, descendisse: hæc & hujusmodi uno verbo ostendit dicens: *Hoc autem totum factum est*; quasi dicat: Ne pures quod hæc nunc tantum Deo placeant; olim præordinata sunt: decenter enim Angelus non Virgini, sed Joseph prophetiam inducit, quasi in Prophetis meditant, & experto. Et primo quidem virginem conjugem appellaverat, nunc autem virginem cum Propheta inducit, ut hoc etiam à Propheta audiret, quasi diu præmeditatum. Unde ad fidem eorum quæ dicebantur, inducit Esaiam, vel magis Deum: non enim dicitur Ut impleteretur quod dictum est ab Esaiâ; sed *Quod dictum est à Domino*, per Esaiam. *Hieronymus* super Esaiam (Lib. 2. in expositione cap. 7. supra per illud „ Ecce virgo concipiet. “) Quoniam autem præmittitur in Propheta (Esaï. 7.) „ Dabit Dominus ipse vobis signum; “ novum debet esse, atque mirabile. Si autem juvencula, vel puella, ut Judæi volunt, & non virgo pariat; quale signum poterat appellari? Cum hoc nomen ætatis sit, non integritatis? Et revera virgo Hebræice *Bethula* appellatur, quæ in præsentis loco non scribitur in Propheta; sed pro hoc verbo positum est *Halma*; quod præter omnes adolescentulam transfulerant. Porro *Halma* apud eos ambiguum est; dicitur enim & adolescentula, & abscondita: ergo, *Halma* non solum puella, vel virgo, sed virgo abscondita dicitur, & secreta, quæ numquam virorum patuerit aspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit. Lingua quoque punica, quæ de Hebræorum fontibus (3) manete dicitur, proprie virgo *Halma* appellatur. In nostro quoque sermone *Halma* dicitur sancta: omniumque penne linguarum verbis utuntur Hebræi: & quantum cum mea pugno memoria, numquam me arbitror *Halma* de muliere nupta legisse, sed de ea quæ est virgo, ut non virgo solummodo sit, sed in annis adolescentiæ: potest enim fieri ut virgo sit vetula. Ista autem virgo erat in annis puellaribus, vel certe virgo, non puella, quæ adhuc virum nosse non posset. *Hieronymus* super Math. (super illud, *Hoc autem totum factum est*.) Pro eo autem quod Evangelista Matthæus dicit, *In utero habebit*, in Propheta, quia futurum prædicit, significat quod futurum sit, &

G

scrip-

scripsit, *Accipiet*; Evangelista autem, quia non de futuro, sed de præterito narrat historiam, mutavit, *Accipiet*, & posuit, *Habebit*; qui autem habet, nequaquam accepturus est. Dicit autem: *Ecco virgo in utero habebit, & pariet filium. Leo* in epistola ad Flavianum (epist. 10. cap. 2. paulo ante medium.) Conceptus quippe est de Spiritu Sancto intra uterum Virginis matris, quæ ira illam salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit. *Augustinus* in serm. de Nativit. (a) (11. de Nativit. & 15. de tempore paulo ante medium.) Qui enim disrupta corporum membra in aliis poterat reintegrare tangendo, quanto magis in sua matre quod invenit integrum non violavit nascendo? Crevit enim in ejus partu corporis integritas potius quam decrevit, & virginitas ampliata est potius quam fugata. *Theodoros* (b) in serm. Ephesini Concilii. Quia vero Photinus purum hominem dicit, qui natus est, Dei non dicens partum; & qui ex vulva processit hominem proponit à Deo divinum: dicat nunc quomodo nata humana per vulvam virginalem nata, virginitatem vulva servavit incorruptam: nullius enim hominis mater virgo permanit. Sed quia natus est carne Deus Verbum, custodit virginitatem, seipsum (1) Verbum esse ostendens: neque enim nostrum verbum cum paritur corrumpit mentem, neque Deus Verbum paritur eligens peremit virginitatem.

Sequitur, *Et vocabunt nomen ejus Emmanuel. Chrysostrus* in hom. (5. ante med.) Consuetudo quidem est Scripturæ res quæ contingunt pro nominibus ponere. Nihil ergo est aliud quod dicit, *Vocabunt nomen ejus Emmanuel*, quam videbunt Deum cum hominibus: unde non dicit, *Vocabit*, sed *Vocabunt. Rabbanus* (Lib. 3. ad expositionem cap. 7.) Primo quidem Angeli psallentes, secundo Apostoli prædicantes, adhuc & sancti martyres, deinde cuncti credentes. *Hieronymus* super Esaiam (7.) Septuaginta (2) autem, & tres reliqui transferunt similiter *Vocabis*, pro hoc hic scriptum est *Vocabunt*; quod in Hebræo non habetur: verbum enim (3) *Charatim*, quod omnes interpretati sunt *Vocabis*, potest intelligi (4) *Et vocabit*, quod ipsa scilicet virgo quæ concipiet, & pariet Christum, *Emmanuel* (5) appellatura sit nomi-

(1) *Al.* per verbum. (2) *Al.* Septuaginta autem reliqui. (3) *P. Nicolai* habet *Vekarat*, & in margine Rom. edit. habetur *Karatha*. (4) *Al.* & *vocabis*, (5) *Al.* appellatum. (6) *Al.* Joseph. Ex edit. *P. Nicolai*. (a) *Al.* Qui est in appendice 24. jam ante notatus. (b) *Seu* serm. 2. de Nativit. Christi, qui refertur in Concilio Ephesino part. 3. & habitus est à Teodoto Ancyrano, pro quo corrupte in aliis exemplaribus legitur Theodoros: ut & serm. 1. quodæ posteriorem appendicem prius corruptam. (c) Ille scilicet qui ex Judæo Christianus, & ab Alfonso Rege sic appellatus in baptisate (cum ante Moyses vocaretur) contra Judæos ipsos librum scripsit, cujus Geiserus in Biblioth. sua meminit, etsi non Possievinus.

sitate poterit quod hoc propter Christum dictum sit & Mariam, cum ab Achaz usque ad Mariam multa centena annorum transferunt? Sed licet ad Achaz loqueretur Propheta, non solum tamen ad eum, vel de suo tempore dicta est propheta. Propter hoc enim dictum est (Esai. 7.) „ Audite domus David; „ non Audite Achaz. Iterum, „ Dabit Dominus ipse vobis, „ signum „ addit ipse, ac si diceret, non alius: ex quo potest intelligi ipsum Dominum signum esse futurum. Quod etiam pluraliter ait, Vobis, & non tibi, innuit non propter Achaz, vel ad ipsam solum hoc dictum fuisse. *Hieronymus* super Esaiam (Lib. 3. ad exposit. super hæc verba.) Est ergo sic intelligendum quod dicitur ad Achaz, *Isæ puer*, qui nascetur ex virgine; domus David, nunc appelletur Emmanuel, id est Nobiscum Deus, quia à rebus ipsis (probabiliter, à duobus Regibus inimicis liberata) patretur Deum te habere præsentem. Postea autem vocabitur Jesus, id est salvator, eo quod universum genus hominum sic salvaturus. Non miretur ergo, o domus David, id rei novitatem, si virgo Deum pariat quæ tantam habeat potestatem ut multo post tempore nasciturus te nunc liberet invocatus. *Augustinus* contra Faustum (Lib. 12. cap. 45. in initio.) Quis autem demeritisimè diceret cum Manichæo, (1) enervis esse fidei de Christo sine teste non credere, cum Apostolus dicat (Rom. 10.) „ Quomodo „ credent ei quem non audierunt? Aut quomodo audient sine prædicante? „ Ut autem non contemnerentur, neque fabulosa dicerentur quæ Apostoli nuntiabant, demonstratur hæc à Prophetis fuisse prædicta: quia, etsi attestabantur miracula, non defuissent qui magicæ potentie cuncta illa tribuerent, nisi talis eorum cogitatio contestatione prophetica vincebatur. Magicis enim artibus longe antequam nasceretur, Prophetas sibi constituere à quibus prænantaretur, nemo utique diceret. (Lib. 13. contra Faustum cap. 7.) Si etiam dixerimus homini gentili, Crede Christo, quia Deus est; & responderit, Unde credo? (2) prolataque auctoritate Prophetarum, eis se nolle credere dixerit, ostendimus fidem Prophetarum ex his quæ ventura cecinerunt, & venisse cernuntur. Credo enim quod eum lateret, quantas à Regibus hujus sæculi persecutiones prius pertulerit Christiana religio: videat nunc ipsos Reges terræ Christi imperio subjugatos, omnesque gentes eidem servientes: quæ omnia per Prophetas

fuerunt prædicta. Hoc ergo audiens de scriptura prophetica, & cernens in universa terra completa, moveretur ad fidem. *Glossa*. (a) (ord. super illud, *Ut adimpletur*.) Horum ergo errorem Evangelista excludit dicens: *Ut adimpletur quod dictum est à Domino per Prophetam*. Prophetia autem alia est ex prædicatione Dei, quam necessarium est evenire omnibus modis, ut sine nostro impleatur arbitrio, ut illa de qua modo agimus: unde dicit, *Eccc*, ad demonstrandum certitudinem prophetiæ: alia est ex præscientia Dei, cui nostrum admiscetur arbitrium, & cooperante gratia consequimur præmium, vel ab ea juste relicti tormentum: alia non ex præscientia, sed est quædam comminatione more humano facta; sicut illud (Jonæ 3.) „ Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur: „ intelligendo, nisi Ninivæ corrigantur.

(6) *Remigius*. Eo aditu rediit vita quo ingressa est mors. Per inobedientiam enim Adæ omnes perditii sumus, per obedientiam Joseph omnes ad pristinum statum incipimus revocari: nam his verbis magis nobis virtus obedientiæ commendatur, quibus dicitur: *Exurgens autem Joseph fecit sicut præceperat ei Angelus Domini. Glossa*. (ordinaria super illud, *Exurgens Maria*.) „ Non tantum quod præcepit Angelus fecit, sed etiam sicut præcepit. Quisquis etiam à Deo monetur, solvat moras, surgat à somno, faciat quod jubetur.

Et accepit Mariam conjugem suam. Chrysostrus super Matth. (hom. 11. in oper. imperf.) Non in domum accepit eam, nec enim adhuc dimiserat eam de domo; sed de animo suo deposuerat eam, & iterum in animum suum eam recepit. *Remigius*. (b) Vel accepit celebratis nuptiis ut conjux vocaretur, non tamen ut concumberet: quia sequitur, *Et non cognoscebat eam. Hieronymus* contra Helvidium (non longe ab initio Libri.) Sed Helvidius superfluo labore defudar, cognoscendi verbum ad coitum magis quam ad scientiam esse referendum; quasi hoc quisquam negaverit, & eas ineptias quas redarguit aliquando prudens quispiam potuerit suspicari. Deinde vult dicere, quod *doceat*, sive *usque* adverbium, certum tempus significet, quo completo fiat aliud quod usque ad illud tempus non fiebat, ut hic, *Non cognoscebat eam donec peperit filium*. Apparet, inquit, cognitam esse post partum, cujus cognitionem filii tantum generatio differebat. Et ad hoc approbandum congerit de Scripturis exempla quamplurima.

(1) *Al.* verius. (2) *Al.* prolataque auctoritate Prophetarum ostenderimus fidem Prophetarum &c.

Ex edit. *P. Nicolai*. (a) Non sic præcisè quantum ad initium ipsum, sed quoad illa quæ sequuntur de prophetiæ diversitate, vel aliquam eorum partem; plenius vero hæc eadem Anselmus. (b) Hæc habet quoque Rabbanus.

rima. Ad quod respondemus: *Et non cognoscebat* & usque, vel donec in Scripturis dupliciter (1) intelligenda. Et de eo quidem quod scriptum est, *Non cognoscebat*, ad coitum esse referendum ipse differuit, nullo dubitante quin ad scientiam sæpe referatur, ut ibi (Luc. 2.) „ Remansit puer Jesus in Hierusalem, & non cognoverunt parentes ejus. “ Sic etiam donec in Scriptura sæpe certum tempus, sicut ipse differuit, significat, sæpe infinitum, ut est illud (Esaï. 46.) „ Donec confenscatis, ego sum. Numquid postquam illi fenerunt, Deus desistet? Et Salvator in Evangelio (infra 28.) *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Ergo post consummationem sæculi discipulis abscedet? Et Apostolus (1. ad Corinth. 15.) „ Oportet illum regnare donec ponat inimicos sub pedibus ejus. “ Numquid postquam illi sub pedibus erunt, regnare desistet? Intelligat ergo ea de quibus posset ambigi, si non fuissent scripta, significari; cetera vero nostra intelligentie derelinqui: juxta quod Evangelista illud indicat, de quo scandalum poterat moveri, non eam cognitam esse à viro usque ad partum, ut multo magis intelligeremus cognitam non fuisse post partum. *Chrysostronus* super Matth. (hom. 1. in oper. imperf. prope fin.) Ut si quis dicat: Donec ille vixit, non est hoc locutus; numquid per hoc significavit, quia post mortem ille locutus est? quod fieri non potest: (2) sic & Joseph ante partum credibile fuit ut non cognosceret eam, quia nondum cognoscebat mysterii dignitatem; postquam vero cognovit quia est facta Unigeniti Dei templum, quomodo poterat hoc usurpare? Sed sequentes Eunomium putant, quia illi ausi sunt hoc dicere, quod Joseph hoc ausus fuit, sicut infans neminem reputat esse sanum. *Hieronymus* contra Helvidium (parum ante medium Libri.) Ad summum illud requiro, cur se abstinerit Joseph usque ad partum diem. Respondebit utique: Quia Angelum audierat dicentem, *Quod in ea natum est.* Qui ergo somnio tantum credit ut uxorem non auderet tangere, hic postquam pastores audierat, Magos viderat, miracula tanta cognoverat, templum Dei, Spi-

(1) *Al.* intelligi. (2) *Al.* sicut.

Ex edit. P. Nicol. (a) Nihil tale in Hilario, cujus nec stylum sapit, cum nec ulla penitus hominias inveniat edidisse, nec verbum *intueri* passivo (ut hic) usurparet. Cujus autem sit non occurrit. (b) Habet eadem & Rabbanus, vel non dissimilia ubi supra.

tus Sancti sedem, Domini sui matrem audebat attingere? *Chrysostronus* super Matth. (hom. 1. in oper. imperf. prope fin.) Potest etiam dici quod verbum cognoscendi hic accipitur pro agnitione: vere enim non agnovit eam ante, cujus fuerat dignitatis, & postquam peperit tunc cognovit eam, quia speciosior, & dignior facta fuerat quam totus mundus: quia quem totum mundus capere non poterat, in angustio cubiculo uteri sui sola suscepit. *Hilarius* in hom. (a) Vel aliter. Propter sanctissimæ Mariæ glorificationem à Joseph agnita invenitur specie nec peperit: Dominum enim gloria habens in utero quomodo cognosceretur? Si Moysi cum Deo colloquentis glorificata esset facies, ut non posset intendere in eum filii Israel, quanto magis Maria agnosci, vel intueri non poterat, quæ Dominum potentia utero habebat? Post partum autem à Joseph agnita invenitur specie faciei, non tactu libidinis. *Hieronymus* super Matthæum (in fine 1. cap.) Ex hoc autem quod dicitur, *Filium suum primogenitum*, quidam perverissime suspicantur & alios filios habuisse Mariam, dicentes, primogenitum non dici nisi qui habeat & fratres; cum hic mos Scripturarum sit ut primogenitum non eum vocent quem fratres sequuntur, sed eum qui primus natus sit. *Hieronymus* contra Helvidium (paul. ante med. Lib.) Alioquin si non est primogenitus nisi quem sequuntur & fratres, tandem sacerdotibus primogenita non debentur, quamdiu & alia fuerint procreata. *Glossa* (ord. super illud, *Filium suum primogenitum*.) Vel primogenitus dicitur inter omnes electos per gratiam; proprie autem Unigeniti Dei Patris, vel Mariæ dicitur.

Sequitur: *Et vocavit nomen ejus Jesum*, die octavo quo fiebat circumcisio, & nomen imponebatur. *Remigius*. (b) Liqueat autem hoc nomen fuisse notissimum sanctis Patribus, & Dei Prophetis, maxime illi qui dicebat (Psal. 118.) „ Defecit in salutari tuo anima mea: “ & (Psal. 12.) „ Exultavit cor meum in salutari tuo: “ & illi qui dicebat (Habac. 3.) „ Exultabo in Deo Jesu meo. “

CA-

CAPUT II.

(a) **C**um natus esset Jesus in Bethlechem Judæ, in diebus Herodis Regis; ecce Magi ab oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in oriente, & venimus adorare eum.

(b) Audiens autem Herodes Rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum, & scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlechem Judæ. Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlechem terra Judæ, nequaquam minima es in principibus Judæ: ex te enim exiit dux qui regat populum meum Israel.

(c) Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stelle, quæ apparuit eis: & mittens illos in Bethlechem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis, renuntiare mihi, ut & ego veniens adorem eum. Qui cum audissent Regem, abierunt.

(d) Et ecce stella quam viderant in oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer.

(e) Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & proclidentes adoraverunt eum: & apertis thesauris suis obulerunt ei munera, aurum, thus, & mirram.

(f) Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

(g) Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes querat puerum ad perdendum eum. Qui confurgens accepit puerum, & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum. Et erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum.

(h) Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlechem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis.

(i) Tunc adimpletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus, & ululatus multus: Rachel plorans filios suos; & noluit consolari, quia non sunt.

(k) Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim qui querebant animam pueri.

(l) Qui confurgens accepit puerum, & matrem ejus, & venit in terram Israel. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire, & admonitus in somnis secessit in partes Galilææ. Et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazareus vocabitur.

(a) **A**ugustinus (a) in ser. de Epiph. Post miraculum virginei partus quo uteris divino numine plenus, salvo pudoris signo, Deum hominem profudit, inter obscuras cubiculi latebras, & præsepis angustias, in quibus infinita majestas membris contractioribus stabulabat, dum pendet ad ubera, & vilius patitur Deus involumenta pannorum, repente novum de cælo sydas terris effulsit, & totius mundi dissipata caligine, noctem convertit in diem, ne dies celaretur in nocte: unde

S. Thom. Oper. Tom. VIII.
Ex edit. P. Nicol. (a) Ut ex serm. 5. præcedentia exemplaria notat; Milleloquium ex 11. At nec serm. 5. quidquam tale habetur, nec in ullo eorum qui recenti editione continentur, ut in ea ullus est 11.